

seu missae apud patres, utuntur hac loquendi phrasi vel his vocibus *immolare, offerre, sacrificare*, non ut liber Interim in missa priuata, nec ut papistae nunc utuntur ea, scilicet incruento et impassibili modo, sed aliis modis non reprehendendis, si recte s. patrum scripta perpendere velimus. Exemplum

1. Christus in coena Dominica a Patribus dicitur *immolari, offerri et sacrificari*, nunc Deo patri, nunc nobis (Cyprianus Epistola 3. lib. 3., Augustinus contra Faustum lib. 20. cap. 18. et in Psalmum 78., item de doctrina christiana lib. 3. cap. 9.).²⁹¹ Id alium intellectum non habet, quam quod Minister orat Deum patrem, ut per unicum filii sui Iesu sacrificium propitius esse velit credentibus et eos sacratissimae communionis filii sui particeps reddere: tantum abest, ut intelligatur de nouo, incruento et impassibili sacrificio pro viuis et defunctis. Sed offerre Christum seu sacrificium Christi est verbis et Sacramentis praedicare atque exhibere memoriam Christi et mortis eius. Sic offerre carnem Christi [143:] est commemorare immolatam pro nobis in cruce, ut coenae Domini celebratio semper fuerit commemoratio mortis Christi iuxta institutionem et mandatum Christi: „Hoc facite in mei commemorationem“;²⁹² quae commemoratio nullo modo torqueri debet alio, vel in repraesentationem mortis Christi per Missam priuatam mutari.

2. Panis et vinum *offerri* dicuntur apud patres in coena Christi, quando in usum Sacramenti, quo nobis corpus et sanguis Christi dispensatur, sanctificantur, segregantur et populo fidei distribuuntur. Alioqui Christus in sacra sua coena neque panem neque vinum obtulit, vel Deo vel hominibus, sed ea per verbum et post gratiarum actionem in usum Sacramenti sanctificauit seu segregauit. De figura Melchisedech infra dicitur.

3. Hymni, seu laudes et preces offerri in coena dicuntur apud Patres (unde sacrificium maxime nomen habet), quando gratias agit minister cum populo, Deo primum pro beneficiis et meritis passionis et mortis Christi, proque participatione corporis et sanguinis Christi in Sacramento, sicut inde dictum est sacrificium eucharisticum. Oportet enim ministros celebrare laudes Dei coram ecclesia, et gratias Deo pro beneficiis eius agere, remissionemque peccatorum, incrementum fidei et benedictionem Dei in rebus omnibus populo Dei orare. Denique ipsam coenae dominicae celebrationem et dispensationem ad gloriam Dei et salutem Ecclesiae iuxta institutionem Christi fideliter administrare.

4. Populus offerri et sacrificari dicitur in coena, quando ministri doctrina et exhortatione verbi Dei, precibus et gratiarum actione, denique et Sacramentorum dispensatione, populum Christo Domino in omne obsequium pietatis

²⁹¹ Vgl. Augustin, Contra Faustum Manichaeum XX,18, in: PL 42, 382f (CSEL 25/1, 558,16–559,19); ders., Enarratio in psalmum LXXXVIII, in: PL 36, 1009–1020 (CChr.SL 39, 1097–1111); ders., De doctrina christiana III, 9, in: PL 34, 71 (CChr.SL 32, 86,14–18).

²⁹² I Kor 11,24.